

tor; Et per consequens vt eo naturaliter, vel ciuilitate mortuo, ipsa reassumat suæ potestatis exercitium; Sed quoniam istud impossibile est explicari per vniuersam Rempubicam, omnesque populos; Hinc proinde, de generali Principatum consuetudine, illud transfusum est in aliquem Senatum, vel in aliū cætū comitialē qui sit totius Reipublicæ repræsentatiuus; Eo modo quo (ex.gr.) in praxi Diffinitores, & alij Vocales congregati in Capitulo generali repræsentant vniuersam Religionem, illamque regunt; Idquæ adaptabile est Collegio in comitijs coadunatis pro electione Principis; Ideoque in hac parte eius potestas latius patet, quàm vbi agatur de vsu clauium.

In ijs autem casibus, in quibus respectiue, vt supra, iurisdictio vel potestas intrat  
 41 durantibus exequijs ante ingressum conclauis, negotia explicantur in congregationibus quotidie haberi solitis vt supra; In conclauis autem, ob Collegij continuas occupationes in binis scrutinijs, quæ de mane & de sero fiunt pro futura electione, explicantur per tria Capita ordinum, quæ quotidie per circulum deputantur, idque ritualia potius concernit; Aliaque ad hanc materiam insinuant dicti Moderni de hac electione tractantes cum ista non sit formalis tractatio, sed simplex relatio rerum magis practicabilium.



Quomodo Papa suam iurisditionem vel potestatem exercent, in omnibus eius principatibus vel personis, tam per se ipsum, quam per eius officiales, & Magistratus; Et Qui nã isti sint; Et præsertim de Legatis, & Nuntijs.

## S V M M A R I V M

- 1 **A**ntiquitùs Papa solus suum munus explebat, & quare.
- 2 De origine suæ introductione Cardinalium.
- 3 De communicatione regiminis facta Cardinalibus, & introductione Confistorij.
- 4 De Vicario alijsque Cardinalibus Vfficialibus Papæ, & de alijs officialibus.
- 5 De eodem, & de distinctione officialium in Curia, & extra.
- 6 De confistorio Cardinalium.
- 7 Qui sint iudices, & officiales in curia, & Congregatione Cardinalium.
- 8 De officialibus, & tribunalibus tam Principatus temporalis quàm Ecclesiastici.
- 9 De officialibus Palatij, seu particularibus.
- 10 Patriarcha, Archiepiscopi, & Episcopi sunt etiam officiales Papæ, & de ratione.
- 11 De Legatis de latere, eorumque iurisditione, & potestate, ac præeminentijs.
- 12 De legatis Ordinarijs prouinciarum Status Ecclesiastici.
- 13 Auditor vel Locumtenens generalis Legati quam potestatem habeat.
- 14 De potestate Legatorum Ordinariorum, & an statuatur contra ius.
- 15 De Vicelegato eiusque potestate.
- 16 De Nuntijs Apostolicis, & Internuntijs, vel Collectoribus.
- 17 De Gubernatoribus, & Præsibus Ciuitatum, & prouinciarum Status Ecclesiastici.
- 18 Quod isti sint magistratus seculares sed eis quandoque communicatur iurisdictio cum clericis, & Ecclesiasticis.
- 19 De occupationibus Papæ in singulis diebus, & horis.
- 20 De bonis effectibus exinde resultantibus, bonoque ciuili regimine huius principatus.
- 21 Quod bonum regimen proueniat ab integritate Officialium, & ministrorum.
- 22 De gubernio tempore pestis.
- 23 Quando attendi debeat potius causa virtutis, quam ipsa virtus, & quando e contra.



## DISC. IV.

**I** Vamuis illa eadem potestas, ac iurisdicção, quam habet, & exercet hodie Papa, saltem iuxta duas, vel tres distinctus ecclesiasticas personas, Episcopi scilicet Ecclesiæ vniuersalis, & Patriarchæ Occidentis, ac etiam Episcopi particularis Urbis, esset quoque penes illos primitiue Ecclesiæ Pontifices, qui in criptis, & speluncis, vitam ducere, ac pontificias partes occultò explere coacti erant, in summa etiam paupertate viuendo, atque carceribus, & tormentis, ac martyrio subiecti; Attamen, cum ob gentilium ac tyrannorum persecutiones, & oppressiones, exiguumque fidelium numerum, eorum munus circa merè spiritualia, & sacramentalia, pro frequentiori exercitio consisteret, per epistolas solum ab aliarum Mundi partium Episcopis consulti, super rebus ad fidem spectantibus, super sacræ scripturæ interpretatione; Et quandoque (licet rarò & occultè) aliquod Episcoporum Concilium celebrantes; Hinc proinde, per se ipsos, absque tot officialium, ac magistratum opera, vel adiutorio, dictas merè spirituales partes explicabant.

**2** Excreto autem paulatim fidelium numero in Vrbe, eadem tamen infidelium persecutione adhuc durante; Vt inter clericos, & ecclesiasticos ministros, confusiones tollerentur, atque oues proprios, ac distinctos cognoscerent pastores, & conuerso isti eas cognoscerent; Primò S. Dionisius 1. occasione diuisionis vniuersalis totius Orbis in dioceses, deinde; S. Pontifex Marcellus 1. plurium Ecclesiarum, formalium potius, quam materialium in numero viginti quinque; distributione fecit in Vrbe sub nomine titulorum, dum tunc publicus vsus, vel cultus Ecclesiarum consecratarum non permittebatur vsque ad tempora Constantini, sed in aliqua domo, vel cripta, occultè fideles, ad sacrificia, aliaque diuina peragenda congregabantur, ac propterea fuit potius distributio regionum, vel contra-

tarum, tanquam per speciem subalternarum diocesium, vt fideles in ea contrata, vel incertis finibus viuentes, ita suam Ecclesiam parochialem constituerent; Cùmque excrecente fidelium numero, illi, qui tanquam parochi seu pastores præpositi fuerant, in omnibus supplere non possent, vnde propterea inferiores clericos, & ministros, in adiutores assumere oportuit; Hinc proinde, ipsi principales clerici, seu parochi, fixè addicti seu incardinati, clerum representare cæperunt, atque Pontificem eligere, ita incardinatorum seu cardinalium nomen seu vocabulum assumendo.

**3** Postquam verò, suscepto per Constantinum magnum baptisate, sub Pontificatu Sancti Siluestri, tranquillitas Ecclesiæ sequuta est, materialium Ecclesiarum consecratarum vsus publicus haberi cæpit, penèque vniuersus Orbis fidem suscepit; Nec non (iuxta vnam opinionem) ex donatione Constantini, Pontifex temporalem principatum quoque adeptus est; Hinc excretis negotijs, & occupationibus, cum formali determinatione causarum, eosdem parochos, vel Cardinales, quos vsupra, prædecessores Pontifices in depresso persecutionum statu, socios & adiutores assumpserant pro sacramentorum, & diuinorum administratione, Pontifices successores, in hoc statu meliori, assumpserunt etiam, in socios, & adiutores seu consiliarios, pro causarum, ac negotiorum Ecclesiæ determinatione, vnde propterea inualuit vsus Consistorij, idest congregationis Papæ, cum Cardinalibus pro dictis negotijs explicandis; Ad instar illius prophani consistorij, quod Princeps, vel Imperator, cum senatu constituerebat; Incertumque est in illis primæis temporibus, an statutis diebus, vel solum quando necessitas vel oportunitas exigeret, id sequeretur; Vnde propterea relinquendo locum veritati, super hoc primæo rerum statu, de quò ad antiquarios potius, curiositatis, vel eruditionis gratia, agere pertinet, quam ad forenses; In posteriori tamen tempore, de quo iuristæ loquuntur A, vsus erat, quod bis in hebdomada fiebat consistorium, in quo, in forma iudicij, præuia discussione, per Partium Aduocatos, & pro-

A. Vestr. & add. in prax. in principio.

& Procuratores, omnes causæ, etiam contentiosæ inter priuatos decidebantur, eo modo quo de præsentis fit per Rotam, aliaque Tribunalia B; Atque propterea inoleuit vsus Aduocatorum, & Procuratorum palatij seu Consistorialium, ne scilicet, cuique ignoto, ac non probato causidico pateret aditus ad causas, quæ in Consistorio Papæ, & Cardinalium tractabantur, vt infra in Procuratorum & Aduocatorum Rubrica aduertitur. C

Magis autem crescente existimatione auctoritatis Pontificis, ac etiam Cardinalitia dignitate, grauiores solum causæ tractari cæperunt in Consistorio, quod proinde semel tantum in hebdomada haberi cæpit, alias verò causas idem Pontifex cognoscebat, ac decidebat in cappella, cum voto & interuentu eius Cappellanorum, vnde prodijt Tribunal Rotæ vt infra in eius particulari rubrica habetur. D

**4** Atque sicuti aliæ Ecclesiæ Cathedralis, & Metropolitanæ suos officiales habebant fixos, quorum vnus esset adiutor, seu Vicarius Episcopi in temporalibus, nempe Archidiaconus, & alter in spiritualibus, nempe Archipræbyter, ac etiã habent Cancellarium, & Æconomum E; Ita Papa Episcopus Ecclesiæ vniuersalis, pro exercitio iurisdictionis temporalis, habebat in Vicarium Cardinalem Archidiaconum, & pro illo spiritualis Cardinalem Pœnitentiarium, nec non Cancellarium, qui tanquam notarius vel secretarius explicaret acta Consistorij & alia, quæ per Papam gerebantur; A etiam Cardinalem Camerarium, qui gereret eas partes, quas in inferioribus Ecclesijs gerit Æconomus maior seu generalis mensæ Episcopalis, vnde propterea magna erat auctoritas Archidiaconi, & Pœnitentiarij; Verùm suppresso postmodum officio, vel dignitate Archidiaconi, eius auctoritas in temporalibus, paulatim penè tota transijt in Camerarium, cuius munus in magna parte hodiè explicant Auditor

B. de his agitur infra discurs. seq. & tit. de iurisdic. disc. 34. & in prima discept. Cardin. de Albicis impress. post eundem tit. de iurisdic.

C. inf. in discurs. in quo agitur de Curialibus.

D. infra disc. 32.

E. de præminent. disc. 20.

Camoræ, & Gubernator Urbis, ac etiam Tribunal Cameræ, ac alia ipsius met hodierni Camerarij, & Thesaurarij generalis vt inferius in particularibus eorundem Tribunalium rubricis insinuatur.

Attentò verò præsentis temporis statu, (de quo ad rem agere pertinet); Retinetque pluries insinuata distinctione personarum in Papa, nempe Summi Pontificis, & Principis temporalis Status Ecclesiastici ac etiam Episcopi particularis Urbis; Idè Papa duas habet species officialium, ac ministrorum pro huiusmodi regimine, vnam scilicet in Curia, & alteram extrã; Et quauis in plerisque Tribunalibus, vel officijs, dignoscatur personarum vel principatum distinctio; Attamen in plerisque alijs ea non dignoscitur, sed promiscuè negotia pertractantur, ad omnes dictas personas respectiuè pertinètia, vt in singulorum Tribunalium ac magistratum, vel officiorum particularibus rubricis aduertitur.

**6** Agendo itaque de illis Curie Romanæ, Papa præsentis; Omnium primum, ac maius, & supremum, quod omnia negotia omnium principatum, vel personarum habitualiter complectitur, est Præfatum Consistorium Papæ, cum omnibus Cardinalibus; Licet actualiter seu in exercitio aliqua tantum grauiora negotia in eo tractentur, vt infra disc. sequ.

**7** Post Consistorium verò, sunt hodiè nonnullæ Congregationes Cardinalium quæ ignotæ fuerunt antiquis scriptoribus, qui de Romanæ Curie praxi agere professi sunt, vt potè postmodum erectæ, ex eodem Cardinalium Collegio vel cætu constitutæ, quales sunt; Congregatio vniuersalis Inquisitionis, quæ sancti officij, vulgò dicitur; Concilij Tridentini; Episcoporum & Regularium; Consistorialis; Rituum Ecclesiasticorum; Immunitatis Ecclesiasticæ, Fabricæ Sancti Petri; Indicis librorum; Consultæ; Aquarum; Confinium, & viarum; Indulgentiarum



rum, & Reliquiarum, Propagandæ fidei; Bonis Regiminis, Visitationis Apostolicæ reformationis Regularium; Ac etiam quandoque illa Status, Aliæq; extraordinariæ, & particulares, quæ per Papam particulariter, pro aliquibus negotijs deputari solent; Ultra multa Tribunalia merè forensia, quibus mediantibus, idem Papa, omnes causas, ad vtrumque principatum, atq; ad Episcopatum respectiue pertinentes cognoscit, ac decedit, vt infra.

Distinguendo autem eas Congregationes, vel Tribunalia, quæ peculiaria sūt, siue distincta singulorum principatum, ab ijs, quæ sūt communia, seu promiscua; Quatenus pertinet ad personam Episcopi particularis Urbis, negotia huius fori Episcopalis pertractantur per Cardinalem Vicarium, aliosque huius Tribunalis officiales, ac etiam per S. Congregationem Visitationis Apostolicæ.

Negotia verò pertinentia ad principatum temporalem, absque mixtura alterius figuræ vel Episcopatus in Vrbe, eiusque districtu, vel personæ Pontificiæ, tractantur per Tribunalia, Gubernatoris, & Senatoris, foriq; Capitolini; Generaliter verò per vniuersum Statum, sunt Congregationes Consultæ, & Boni regiminis, & Aquarū, Confinium, ac Viarum; Ac etiam in Vrbe adsunt aliqua Tribunalia particularia pro certo genere causarum, cum aliqua maiori amplitudine; Vt sunt (ex. gr.) Gubernator Burgi & alia Tribunalia quæ recensentur infra sub Tribunali Camera; Ultra infinitum penè numerum Iudicum particularium aliquarum Ecclesiarum vel locorum piorum, vel collegiorum, & artium; Vt quoad forum ecclesiasticum sunt Archipræsbyteri trium Basilicarum Patriarchalium, & Cardinales titulares, in suis respectiue titulis; Et respectu fori temporalis, sunt iudices artium & collegiorum, seu inferiorum.

Quo verò ad maiorem dignitatem ecclesiasticam, seu pontificiam, pro regimine Ecclesiæ vniuersalis, sunt superius enunciatae Congregationes; Inquisitionis vniuersalis; Concilij Tridentini; Episcoporum, & Regularium; Consistorialis; Rituum ecclesiasticorum; Immunitatis Ecclesiasticæ; Propagandæ fidei; Indicis librorum, & Indulgentiarum, Fabricæ, &

aliæ vtpotè percutientes negotia Ecclesiæ in vniuersum.

Tribunalia verò magis contentiosa, quæ promiscuè tractant causas, & negotia vtriusque principatus, ecclesiastici & temporalis, ac etiam Episcopatus Urbis, pro instantiarum diuersitate respectiue, sunt illa; Vtriusq; Signaturæ Gratiæ & Iustitiæ; Rotæ; Camera, Auditoris Camera; Thesaurarij; Et Camerarij; Ac etiam quædam Tribunalia pro regimine Urbis, quæ eandem habent mixturam vtriusq; potestatis ecclesiasticæ, & temporalis, ex persona scilicet Episcopi, & Principis, ac etiam quandoq; extra districtum, ex persona Pōtificis, ob cōmunicatas facultates etiā cū personis ecclesiasticis; Vt est Tribunal Ædiliū seu Magistrorum viarū Ac etiam sunt Præsidentes Annoræ, Gratiæ, Zecchæ, Riparū, & viarū ac similes.

Habet item Papa plures particulares officiales, ac ministros pro suis respectiue muneribus, ac personis vtsupra explicandis, vt nempè sunt; Cardinalis superintendens generalis Status ecclesiastici, primusque, ac magis intimus, & fiduciaris Papæ minister, qualis est ille, qui, siue per veritatem, siue per affectionem, Cardinalis nepos dicitur, et qui apud vulgus Patronus nuncupatur; Itē Secretarius Status; Datarius; Secretarius breuiū; Domesticus Auditor & Palatij Præfectus; Et eiusdē Palatij magister; Ac etiā sunt; Vicecancellarius; Pœnitentiarius maior; Et Camerarius, quorum singuli, dependentes, ac subordinatos habent officiales, & ministros, idēque aliquam constituunt speciem tribunalis; Ultra alios ministros aulicos, qui non soli seruitio personæ adiecti sunt, sed etiam regimini dictorum principatum, puta Secretarius litterarum, vel breuiū ad Principes Secretarius memorialium, Eleemosynarius, Secretarius cistrarum, & similes.

De singulis autem dictis magistratibus, & officialibus, vel Tribunalibus agendo, insinuat, in quibus eorum munus versetur, & quando eorum viue vocis oraculo deferatur.

Extra Curiam verò, spectata maiori, seu principali persona Summi Pontificis, in concernentibus regimen Ecclesiæ vniuersalis; Sub nomine officialium, & adiutorum Papæ, iuxta vnam opinionē, veriorē receptā, ac in Curia (quam tamen

vt

vt aliàs dictum est, aliqui Ultramontani non de facili admittunt), largè, seu mediatè, recensentur; Catholici Patriarchæ; Primate; Archiepiscopi; Et Episcopi, aliique inferiores Prælati, spirituales, seu quasi Episcopalem iurisdictionem habentes; Cum etenim Papa dicatur Episcopus Ecclesiæ vniuersalis, ac Ordinarius Ordinariarum, habens vniuersum mundum pro diocesi, vt supra, disc. 2. aduertitur; Hinc per necesse danda est hæc subordinatio, quod scilicet alij Prælati, quamuis in pontificali dignitate, vel ordine constituti, censendi sint quidem pastores sibi commissorum gregum vel ouilium, ita pro meliori regimine distributorum, sed subordinati primo pastori, à quo, vel cum cuius auctoritate præpositi sunt, iuxta illam proportionem, quæ cadit inter Episcopum, & parochos vel plebanos singulorum locorum diocesis; Si etenim hæc subordinatio non adesset, non potuisset Papa interdiceri Episcopis, ac Prælatibus prouisiones beneficiorum, quæ sub Apostolicis reservationibus vel affectionibus cadunt, aliaque multa eis prohibere, sibi que reseruire, quæ inspecta iurisdictione natia, & antiquorum Canonum dispositione, sunt iuris Episcopalis.

Magis proximè autem, magisque immediatè, inspecta eadem persona pontificia, eius vicarij seu officiales sunt; Primo loco extraordinarij Legati Apostolici, qui iuxta modernam praxim, non nisi constituti in cardinalitia dignitate deputari solent, & qui de latere dicuntur, apud Reges, & magnos Principes pro bellis componendis, vel pro foedere aduersus infideles, vel hæreticos, similibusque grauioribus negotijs; Antiquiori autem tempore historiæ docent, quod etiam non constitutis in cardinalitia dignitate, hoc munus demandari solebat.

Istorum Legatorum extraordinariorum, qui vtsupra de latere dicuntur, ma-

gna esse solet auctoritas, ea tamen certam ac vniuniformem non habet regulam; Generaliter, etenim pro regula statui potest, vt eis in sibi commissa prouincia, vel regione, competant omnes illæ facultates, quæ competunt Episcopis in eorū diocesis; G. Et vterius Papa solet multas facultates eis communicare circa collationem beneficiorum reservationum, & concessionem aliquarum dispensationum, aliarumque gratiarum & indulgentiarum, in magis, vel minus ampla forma, adeo vt huiusmodi Legati habeant formalem Datariam, eis que plures Prælati, tanquam officiales & ministri assignari soleant, et præsertim vnus ex Rotæ Auditoribus, qui Datarij, & consiliarij partes expleat, vt tanquam peritus, consulere valeat, quænam pro Sedis Apostolicæ stylo, concedi, vel respectiue denegari debeant, atque ad hunc effectum eisdem etiam assignantur aliqui inferiores ministri versati in Dataria, & Cancellaria Apostolica.

Item huiusmodi Legatorum in loco legationis magna est præeminentia supra omnes Prælatos, ac etiam supra Cardinales, quamuis antiquiores, ac aliàs digniores; Ad instar illius Canonici qui gerendo munus Vicarij generalis, vel officialis Episcopi, alios Canonicos vel Dignitates maiores præcedit; Ideoque eo præsentem, ad ipsum pertinet pontificales solemnitates, vel præeminentias explicare, tam circa præeminentem sessionem in throno elato, quam circa impartitionem solemnem benedictionis populi, ac erectionem crucis, cum similibus, à quibus Episcopus in propria diocesi abstinere. H.

Altera est species Legatorum ordinariarum, qui pariter non nisi ex Cardinalium Collegio, iuxta hodiernam praxim, deputari solent, pro regimine vel supremo vicariatu aliquarum Prouinciarum vel ditionum Status Ecclesiastici; Vt attempta pariter hodierna praxi, sunt Legati, Auenionensis, Bononiensis, Ferrariensis,

G. Cavalier. dec. 15. num. 2.

H. de his & alijs Gambar. de potestate legati Vermigliol. conf. 442. Surd. conf. 403. ambo in eodem casu an Legatus dispenset ab ordine subdiaconatus, & an disponat contra ius Rot. dec. 171. p. 5. rec. dec. 207. num. 34. apud Possib. de subdiacon. & apud Bieb. dec. 381.



sis, Vrbinate, & Æmiliæ seu Roman-  
diolæ; Quamuis in ista vltima prouincia,  
legatio non sit fixa sicuti sunt aliæ, dum  
nostra ætate, sub Vrbanò VIII. & Inno-  
centio decimo, illa committi consuevit  
regimini Prælati sub nomine Præsiden-  
tis; Et quandoque (licet rarò) in guber-  
nijs præsidalibus seu prouincialibus; Mar-  
chiæ cuius Ciuitas residētialis est Mace-  
ratēsis; Et Vmbriæ cuius ciuitas residen-  
tialis est Perusina; Et Patrimonij, cuius  
ciuitas residentialis, est Viterbiensis, Car-  
dinalis Legatus deputari cōsuevit, prout  
temporum oportunitas exigeret.

Ista verò Legatorum species, percu-  
tit potius alteram personam Principis  
temporalis, dum eorum munus principa-  
liter concernit regimen temporale ideo-  
que censendi sunt Præsides seu Vicarij  
prouinciarum principatus temporalis;  
Eo modo, quo (ex-gr.) Rex Catholicus in  
Italia deputat Proreges vel Gubernato-  
res, & Vicarios in principatibus eius  
monarchiæ annexis; Vel (magis proxime),  
erant illi Præsides prouinciarum  
Regni Neapolitani, qui sub nomine Pro-  
regum, & Vicariorum deputabantur,  
quando dictum Regnum proprium Re-  
gem ibi residentem habebat.

Benè verum est, quod in huiusmodi  
Legatis verificatur illa eadem mixtura  
vtriusque, regiæ, & pontificiæ potestatis,  
quæ vtsuprà practicatur in pluribus Tri-  
bunalibus, ac Magistratibus Curiæ, quod  
scilicet quamuis principaliter præponan-  
tur regimini temporali iuxta dicta ex-  
empla, adeòvt eorum Auditor generalis,  
13 qui est Iudex ordinarius causarum ad  
eius forum pertinentium, dicatur potius  
Iudex laicus, vt quandoque practicauit  
in Signatura; Attamen Papa, aliam pon-  
tificiam personam induendo, plures eis  
communicat ecclesiasticas, seu spirituales  
facultates, maiores, vel minores, iuxta  
temporum oportunitates, illos præfer-  
tim constituendo Iudices appellationū,  
& recursuum ab Ordinarijs, alijsque Præ-  
latis, cum eisdem præminentijs eccle-

siasticis, de quibus supra, iuxta diuer-  
sam praxim seu obseruantiam, cui nimirum  
in hoc deferendum est.

Istorum verò Legatorum potestas ma-  
gis restricta est, adeòvt, legibus canoni-  
cis vel ciuilibus derogare, vel dispen-  
14 sare non possint, neque illa concedere  
vel statuere, quæ sint eis contraria; Vnde  
propterea in casus contingentia pluries  
per Rotam decisum fuit, vt Constitu-  
tiones Legatorum, seu localia Statuta cū  
eorum auctoritate confirmata, attendi  
non debeant in ijs, quæ de directo sunt  
contra ius; Nisi antiqua recepta consue-  
tudo, pro ipsarum legationum diuersis  
moribus, aliter suadeat. I

Huiusmodi Legatis, Alter officialis per  
Papam adiungi solet, in Prælatiuræ statu  
constitutus, qui Vicelegatus nuncupa-  
tur, isque ex quodam recepto vsu, tanquā  
Legati Vicarius generalis, eisdem exer-  
cet facultates indefinitè, Legato absente,  
vt praxis docet in Vicelegato Aueni-  
onensi, dum ea legatio committi solet di-  
cto Cardinali primo ministro, qui nepos  
dicitur, atq; cōtinuò residet in curia apud  
ipsum Papam, atque ipso Legato præ-  
sente, adhuc aliquas habet facultates  
iuxta cuiuslibet legationis praxim vel  
obseruantiam, cui deferendum est. L

Habet etiam Papa tanquam Papa,  
16 aliam speciem officialium, & magistra-  
tuum extra Curiam, nempe Nuntios as-  
sistentes, apud Imperatorem, ac Reges,  
aliosque supremos Principes; Eisque, iux-  
ta pariter diuersos stylos, vel temporum,  
ac rerum contingentias, iura seu facul-  
tates Legati conceduntur; Tam circa col-  
lationes aliquorū beneficiorum, vt præ-  
sertim occasione facultatum Nuntij His-  
paniarum, conferendi beneficia non ex-  
cedentia valorē 24. ducatorum, frequen-  
ter disputari contingit, M; Quàm etiam  
circa aliquas dispensationes, aliaque  
gratias; Ac etiam iuxta diuersos stylos,  
quibus deferendum est, sunt Iudices ap-  
pellationis, & recursuum ab Ordinarijs  
locorum; In ijs verò Regnis & principa-  
tibus, in quibus ipse Princeps non resi-  
deat,

I. apud Bich. dicta decis. 381. dicta dec. 207.  
apud Pest. de substat. Danozett. dec.  
527. num. 4.

L. Gratian. discept. 166. num. 1. dec. 73. p. 5.  
rec. num. 18. & tit. de donat. disc. 2.

M. sub tit. de benef. pluries.

deat, sed eius Vicarius, vel alter supre-  
mus Magistratus, Papa deputat officia-  
les sub nomine Collectorum vel Inter-  
nuntiorum seu Residentium, qui quam-  
dam Nuntiorum imaginem habent, eis-  
que facultates maiores vel minores com-  
municari solent iuxta diuersos stylos. N

In principatu temporali, qui sub no-  
mine Status ecclesiastici explicatur, de-  
17 putat etiam Præsides & Gubernatores,  
qui magistratus merè sæculares reputan-  
tur, ijque pro frequentiori contingen-  
tia, in Prælatiuræ statu constituti sunt,  
exceptis paruis Ciuitatibus, & locis, in  
quibus deputantur simplices togati cum  
illa subordinatione, de qua habetur in-  
fra, agendo de Tribunali Consultæ. O

Aliquando tamen in casibus particu-  
18 laribus eisdem Gubernatoribus commu-  
nicari solent facultates procedendi etiā  
contra clericos, & personas ecclesiasti-  
cas, vnde propterea dicta mixtura  
vtriusque potestatis verificatur, vt e-  
tiam in Gubernatore Vrbsis praxis fre-  
quentur docet vt loco citato aduertitur.

Ipsius autem Papæ, magna, & conti-  
nua est occupatio, adeòvt nimis laborio-  
19 sum, ac onerosum munus reputetur;  
Siquidem vltra adeò frequentes,  
& longas occupationes spirituales in cul-  
tu diuino, in Cappellis scilicet, & proces-  
sionibus, alijsque functionibus huiusmo-  
di Singulis diebus, ordinarias, & extraor-  
dinarias habet occupationes, quæ totam  
penè diem absorbent; Qualibet enim die,  
postquā missam celebravit, atq; diuinum  
officium recitavit, audit Datarium pro  
beneficiorum prouisionibus, alijsque ne-  
gotijs pertinentibus ad Datarium de qui-  
bus infra in eius Rubrica, & supplicatio-  
nes signat; Et expedito Datario, audit  
Secretarium breuium, aliaque expedit  
negotia pertinentia ad istam Secretariā,  
de qua pariter infra in eius Rubrica agi-  
tur, signando minutas; Istaque occupa-  
tio est continua singulo quoque mane,  
quando non sint dies solemnes in quibus  
Cappellis, alijsque diuinis vacandum sit.

Prout singulis diebus, post prandium,  
vel alia statuta hora, audit dictū Cardi-  
nalem superintendentem generalem tā-

quam primum, magisque fiduciarium  
ministrum, atq; cum eo de grauioribus  
negotijs agit, necnō Secretarium Status;  
Deindeq; Secretariū memorialiū, & Audi-  
torē, domesticū alijsq; audit Palatij offi-  
ciales, pro negotiorū qualitate; Istæq; oc-  
cupationes sunt cōtinuæ singulis diebus.

Discontinua verò sunt; Die Lunæ de  
mane tenetur Consistorium, in quo vt in  
Consistorij rubrica sequenti, aduertitur,  
Cardinales audit; Vt etiam eos audit  
solet in alijs cardinalitjs Congregationi-  
bus de quibus infra; Die Martis, alterna-  
tim habetur Signatura Gratiæ, & Cōgrega-  
tio examinis Episcoporum; Die Mercurij  
est audientia generalis officialium, nempe  
Gubernatoris Vrbsis, Auditoris Came-  
ræ, Thesaurarij Generalis; Senatoris Vr-  
bis; Vicegerentis; Secretariorum Cong-  
regationum; Præfectorum annonæ, &  
gratiæ, pluriumque aliorum officialium;  
pro negotiorum qualitate; Die Iouis, ha-  
betur coram eo Congregatio Inquisitionis  
vniuersalis, quæ Sancti Officij dicitur;  
Die Veneris audit plures Oratores Prin-  
cipum, iuxta eorum ordinem, ac distri-  
butionem; Die Sabati audit quoque plu-  
res alios Principum, & Ciuitatum ora-  
tores, necnon denuò audit dictos officia-  
les, vel eorum aliquos pro negotiorum  
urgentiā; Et die dominico, quando Cap-  
pellæ impedimentum non adsit, audit  
Episcopos venientes ad limina ac etiā Ge-  
nerales alijsq; superiores Religionum;  
Atque in singulis diebus in ijs spatijs, quæ  
super sint, priuatas præstat audientias;  
Vltra audientias extraordinarias Orato-  
rium Principum, Cardinalium, & offi-  
cialium; Ac etiam vltra extraordinarias  
Congregationes, quæ coram eo haberi  
solent in aliquibus anni temporibus su-  
per Canonizationibus, vel Beatificationi-  
bus; Aut in negotijs pertinentibus ad  
Congregationem Propagandæ fidei; Vel  
in negotijs Status, aut publicæ annonæ  
cū similibus; Et quandoq; iuxta diuersos  
Pontificū stylos (nimirum quidē cōmenda-  
biliter), ex improviso corā eo euocari so-  
lent, Rota, Camera, Signatura Iustitiæ; Et  
alia Tribunalia, vt audiat quomodo cau-  
sæ benè examinentur, ac iustitia mini-  
stratur

P. 2. Relat.

E

stretur

N. de Nuntijs Apostolicis cum dicta distin-  
ctione tit. Miscellan. Ecclesiast. disc. 22.  
& 23.

O. infra disc. 25.



stretur; Ideoque (vt præmissum est) occupatissimū, & laboriosissimū est munus, quod exercetur, vel quod exerceri debet. Mutantur autem quandoque dies aliquarum enarratarum functionum, præsertim Consistorij, & Examinis Episcoporum, ob impedimenta, quæ in consuetis diebus contingant, siue quod ita exigat negotiorum urgentia, quæ quam Consistorium extraordinarium conuocare cogat.

Atque ultra dictas occupationes, alias plures patitur, pro extraordinarijs contingentijs, pro quibus, etiam singulis diebus, & horis, epistolas seu apodissas certioratorias recipit à Cardinalibus, & ab Oratoribus Principum, ac etiam ab officialibus prædictis, & præsertim à Governatore Urbis; Immo aliqui nimium vigilantes Pontifices studere solent, atque solliciti esse, ne ab officialibus, & ministris circumueniantur, etiam à priuatis ciuibus, vel à religiosijs viris, ita per huiusmodi certioratorias literas vel apodissas, occultò certiorari de ijs quæ contingant; Ac etiam Procuratorem fiscalem, & Barifellum, aliosque inferiores ministros, utpotè benè informatos ad audientiam admittere quandoque solent, quoniam Princeps omnia scire debet, quæ contingunt, quamuis plurimum notitiam non habere, frequenter dissimulare expediat.

Ex hac autem continua audientia, & applicatione Pontificis per se ipsum; Ac etiam ex eo quod sit Princeps, qui à statu privato, per gradus, ad illum apicem euectus est, ideoque benè informatus, valdè proficui resultant effectus, atque reuera optimum est huius principatus regimen ciuile, seu pacificum (non famen in belligeris, in quibus clericorum, & ecclesiasticorum, nullæ, vel parum felices esse solent partes, ita fortè ipso Christo Domino disponente); Rarè siquidem fortè inuenientur magnæ, ac metropolitica Ciuitates, quæ tot magnates ac nobiles, & potentes viros habeant, in quibus nulla audiatur pauperis, ac popularis oppressio, sed quod æqualiter, cuilibet ius suum tribuatur, atque à maximo ad minimum, æqualis sit iustitiæ, & obedientiæ sarcina; (Cum ea tamen

circumspectione, quam vbique, ex quadam congruentia praxis docere videtur in Oratoribus Principum vt infra in eorum particulari rubrica aduertitur); Atque per vniuersum Statum ecclesiasticū, illum præsertim, qui immediatè regitur per Governatores, & Præsides, sub directione illius valdè proficue Congregationis, quæ Consulta dicitur, de qua infra in eius particulari Rubrica P, rectè verificatur id, quod sacra scriptura de temporibus Salomonis refert, quod. i. quilibet liberè viuat sub ficu sua & sub vite sua, (quod faxit Deus vt semper conseruetur, vt conseruandum speratur, Pontificibus in hac vigilantia perseverantibus.)

Nimium quoque pro hoc optimo, verèque exemplari ciuili regimine, prodest eximia qualitas ministrorum, ac operariorum, ac præsertim Præsidentum, & Governatorū localium, qui præsidatus, & gubernia, non affectant, neque emunt, ad lucrum, & ditationem, vt iustitiam vendant, vel criminum punitionem delinquentes cum pecunia redimant, dum sunt viri nobiles, & diuites in Prælatuæ statu constituti, huiusmodi munera assumentes, & exercetes pro solo merito, atque vt ita gradus sibi constituant ad maiora munera, primariaque dignitates, non autè vt in gubernijs, cum ipsorum emolumentis, viuant, vel lucrentur; Quinimò potius de proprio, magnas, ac notabiles summas erogando, non solum pro eorum condecenti, & honorifica sustentatione, atque pro Principum, & Magnatum splendidis hospitacionibus nomine Papæ, eorum sumptu; Sed etiam quandoque notabiles summas de proprio erogando in diligentijs, pro habendis, ac puniendis malefactoribus, ac delinquentibus; Vt etià in Curia in tot Prælati, qui munera & iudicaturas exercent, praxis docet, vt agendo præsertim de Tribunalibus vtriusque Signaturæ, ac Rotæ, & Cameræ inferius aduertitur; Istaque reuera est in aliquibus principatibus petra scædalorum, quod scilicet, Iudices, & Governatores, ac Præsides, alijque officiales, munera, & officia affectant, ad solum lucrum & ditationem, quod manifestam habet implicantiã cum recta iustitiæ

P infra dicto disc. 25.

stitiæ administratione, rectoque regimine Reipublicæ.

Præsertim verò, nostra etate istam, comparationem docuit casus pestis quæ aliquas Italiae partes adeò vexauit, dum in Vrbe, quamuis nimium grassata esset, nullum penitus inconueniens visum, vel auditum est, tam circa omnium victualium consuetam affluentiam, liberumque commercium, absque aliqua pretiorum alteratione, quàm etiam circa infirmorum curationem, & mortuorum sepulturam, de nocte, absque aliquo clamore, vel tumultu, adeò vt, in tam notabili strage huius diuini belli, nec vnum quidem cadaver visum fuerit per Ciuitatem; Idque ex vigilantia Congregationis desuper constitutæ, ex ijs Cardinalibus, qui occasione legationum, vel guberniorum, magnam habebant peritiam in regimine huius temporis calamitosi, occasione alterius belli diuini, quod aliquas Italiae superiores partes prius vexauerat; Ac etiam, ob nimiam vigilantiam, & assistentiam Prælatorum, qui desuper deputati fuerat in lazareto & in singulis regionibus, & contratis, dum non solum exactissimam adhibebant personalem operam, ac diligentiam, omnino gratuitam, absque minima, ne quidem imaginabili utilitate; Verù etià erogabāt notabiles summas de proprio ære, in eleemosynas, ac subuentiones indigentium; Nimiùm quoque cooperante, omnimoda æqualitate exactissimæ obedientiæ, in qua Magnates, ac primarij viri infimos, ac plebeos vincebant; Ac etià ob seueram irremissibilem punitionem aliquorum inferiorum operariorum, qui non benè in proprio munere se gererent; Et in summa, vt ab officialibus, ac regentibus absint sordes, quarum mixtura, nunquam bonum regimen Reipublicæ producere potest.

Et licet, ab aliquibus dici soleat, quod istæ bonæ Prælatorum operationes, non ex virtute charitatis, & iustitiæ, sed ab ambitione proueniunt; Eis tamen replicari potest, quod pro bono Reipublicæ gubernio, ac iustitiæ administratione effectus attendi debet, non autem causa, dum apud Deum, & in foro interno, ex sanctorum Patrum testimonio, non virtus, sed causa virtutis attendi debet, sed apud homines, atque in foro externo, effectus, vel exercitium virtutis, non autem causa desideratur.

De Consistorio, et de causis, ac negotijs, quæ in eo tractari solent; Ac etiam de Collegio Cardinalium, eorumque iurisdictione, & prerogatiuis; Et de Congregatione consistoriali.

## S V M M A R I V M

- 1 De vocabulo Consistorij quid significet.
- 2 De duplici specie consistorij.
- 3 De Consistorio solemni publico.
- 4 De functionibus quas in eo faciant Aduocati consistoriales.
- 5 De Consistorio semipublico.
- 6 De Consistorio secreto, & qua die celebretur.
- 7 De modo accessus ad consistorium.
- 8 De audientia quam Papa præstat Cardinalibus in consistorio.
- 9 De negotijs quæ tractantur in consistorio, & præsertim de promotione Cardinalium.
- 10 Quando dicantur veri & perfecti Cardinales.
- 11 De alijs solemnitatibus in promotione Cardinalium.
- 12 Quæ personæ soleant ad hanc dignitatem promoueri.
- 13 Quare Regulares aliquando promouentur.
- 14 Et de eorumdem promotione ad Episcopatum.
- 15 De prouisione Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum.
- 16 De Episcopatibus titularibus in partibus infidelium.
- 17 De modo promotionis Episcoporum actualium.
- 18 Monasteria consistorialia prouidentur in consistorio.
- 19 De traditione pallij.
- 20 De dimissione Episcopatum.
- 21 De creatione Legatorum Apostolicorum.
- 22 De nouis erectionibus vel unionibus Cathedralium.
- 23 De quibus alijs negotijs in consistorio tractetur.
- 24 De Congregatione Status.
- 25 De Congregatione consistoriali, & quæ negotia tractet.
- 26 De Cardinalium Collegio, iurisdictione, & præeminentijs, & alijs Cardinalium indultis & priuilegijs.